



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

35. Quidam cum falsis dimissoriis sumpsit minores Ordines, & postea cum excommunicatione occulta impetrauit beneficium, quæsiuit à me, quid iuris? Et an collatio beneficij facta excommunicato ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

* Sup. hac culpa aliena in seq. §§. hujus Ref. & sup. lege doctrinam Ref. 3.

patet ex cap. 2. de Constit. ibi: Rem, quæ culpa caret in damnum vocare non convenit. Et in cap. de his, quæ sunt a maiore parte Capituli, ubi dicitur: Peccata suos auctores tenere debent, neque poena est ulterius protrahenda, quam delictum fuerit in excedente, quia iniquum est innocentem poenas nocenti debitas sustinere; & ita docet Sanchez de matrim. l. 9. disputat. 31. num. 9. Avila de Censur. part. 3. disputat. 3. dub. 2. conclus. 2. Suarez disp. 28. sect. 4. num. 3. Cornejo in 3. part. D. Thome, tom. 2. tract. 5. de suspens. dub. 2. num. 4. Layman l. 1. tract. 5. part. 3. cap. 9. Hurtadus de susp. diff. 9. & alii communiter: ergo in nostro casu implicat dictum puerum aliquam contraxisse suspensionem, quia quando recepit primam Tonsuram, carebat usu rationis, atque ideo peccare non poterat, & eius susceptio ex parte sua inculpabilis fuit, & tantum peccaminosa ex parte Episcopi.

Sup. hoc inf. lege doctrinam Ref. 36.

2. Verum cum hæc omnia de plano procedant quoad suspensionem per se sumptam, & quatenus est censura; difficultas tamen est an dictus puer ex tali ordinatione incurreret saltem suspensionem latè sumptam, quæ dicit inhabilitatem ad alios ordines suscipiendos? & videtur prima facie affirmativè respondendum ex notabili doctrina, quam ex Alerio de Censur. tom. 1. disp. 7. cap. 1. observat sapientissimus Felicianus à Vega olim electus Episcopus Mexicanus in cap. 4. §. si verò, de iud. num. 33. nempe, nullum esse inconveniens posse ferri suspensionem à iure, vel ab homine pro aliena culpa, quando talis suspensio habet rationem inhabilitatis, provenientis ex defectu ordinem conferentis: quod firmatur, Primò auctoritate Divi Thomæ in 4. sent. dist. 18. quest. 2. art. 3. q. 2. ad primum. Secundò, ex cap. vel non est compos 14. de de tempor. ordin. in quo puer ordinatus Diaconatu anno ætatis suæ 13. suspenditur ab officio Diaconi usque ad legitimam ætatem, non ob propriam culpam, sed in injuriam ordinantis. Tertiò, in cap. 1. de ordinatis ab Episcopo, qui Episcopatu renuntiavit, cavetur suspensos esse debere ab officio, quousque legitimus Pontifex dispenderit, tamen si ignoranter prædictos ordines suscepissent: ergo & in casu nostro posset aliquis dicere dictum puerum ordinatum ab Episcopo in anno quinto ætatis suæ contraxisse, non quidem suspensionem stricte sumptam, sed quandam inhabilitatem ad Ordines non ex culpa sua, sed in injuriam Episcopi ordinantis, ut loquitur Pontifex in d. cap. vel non est compos.

3. Sed licet superius dicta ego approbem, dari videlicet in Sacris Canonibus aliquas suspensiones, quæ verè poenæ non sunt, sed tantum inhabilitates, & contrahi absque culpa in Episcopi ordinantis injuriam; attamen hanc doctrinam non posse applicari in casu nostro videtur, nam individualiter invenio expressam in cap. nullus de ætat. & qual. ordinand. in 6. ubi sic habetur: Nullus Episcopus, vel quisvis alius, infanti (scilicet minori septem annorum, ait ibi glossa, Castus Palus tom. 6. disput. 4. punct. 10. §. 1. num. 6. Leander de Sacrament. tom. 2. tract. 6. disp. 2. quest. 1.) clericalem præsumat conferre Tonsuram, qui verò contraxerit, ut in eo in quo peccavit, puniatur per unum annum à collatione clericalis Tonsuræ, dumtaxat noverit se suspensum. Ita ibi Bonifacius VIII. Itaque, cum Pontifex solum poenam suspensionis imponat Episcopo, & nullam mentionem faciat de puero malè ordinato, nescio qua ratione dicendum sit in casu nostro, dictum puerum inhabilitatem aliquam incurrisse; nam de illa ne verbum quidem Pontifex in dicto textu asserit, ut fecit in aliis textibus superius adductis, & novissimè in Concilio Tridentino sess. 5. cap. 6. de reformat. contra ordinatos ab Episcopo exer-

cente Pontificalia in aliena Diocesi, ubi fulminatur suspensio non solum contra Episcopum, sed etiam contra ordinatos ab ipso, licet ex parte ipsorum non fuisset culpa aliqua, ut notat Barbosa ibi, n. 34. Vega ubi supra num. 34. cum Alerio loco citat. Ergo in casu nostro intrat Axioma illud juris, quod si lex voluisset, expressisset; sicut expressit quando voluit. Ex cap. 2. de Decimis, & cap. 2. de transact. & ex aliis iuribus, & Doctoribus, quos ego ad fatietatem adduxi novissimè in part. 10. tract. 9. Ref. unica.

4. Nec valet argumentum superius adductum ex Quæst. text. in cap. vel non est compos, & cap. 1. de ordin. ab Episcopo, qui Episcopatu renuntiavit; nam ibi Pontifex loquitur tam contra ordinantem, quam contra ordinatos, quod non fecit in casu nostro videlicet in d. cap. nullus, ideo determinaciones illorum Canonum non sunt extendendæ ad casum nostrum, ad quem nullam inhabilitatem voluit Pontifex puero ordinato imponere; nam si voluisset, expressisset, ut alibi fecit. Et omnia iura clamant odia non esse extendenda de casu ad casum, etiam si extensio fiat ex similitudine rationis, ut patet ex leg. saltem cuiusque §. in penultimis, ubi Decius, ff. de regul. iur. cap. in penis, eodem tit. in 6. Burgos de Paz conf. 8. n. 2. Ioann. Andreas in reg. odia, de reg. iur. in 6. Gilonius de privileg. sen. explicat. num. 540. & alii: Unde impedimenta matrimonij cum sint quedam inhabilitates, contrahuntur quidem etiam ab ignorantibus, sed non extenduntur de casu ad casum: ergo, &c.

5. Nec obstat supradictis cap. tua litera de Clerico per saltem promotu, in quo Innocentius III. dicit injungendam esse poenitentiam cuidam, qui ordine Diaconatus prætermisso, se fecit ad Sacerdotii ordinem promoveri, ac insuper ex quo boni viri affectabant inter quos fuerat conversatus, credebatur asserioni eorum, eo quod tempore quo ordines inferiores susceperat infra annos discretionis fuerat constitutus. Non inquam hic textus obstat; nam primò potest quis respondere poenitentiam illam fuisse ab Innocentio injunctam, quia omisso Diaconatu ille talis Sacerdotium sumperat cum ignorantia etiam & lapsa, ut ibi Glossa observat, non autem, quia receperat ordines inferiores ante annos discretionis, cum nulla negligentia, ut clarum est, ante ulum rationis ex parte sua extiterit in illa ordinum susceptione, ergo, &c. Respondeo secundò, quod Innocentius in dicto textu, loquitur de illo, qui infra annos discretionis ordines inferiores suscepit: sed in nostro casu puer non suscepit ordines, sed tantum primam Tonsuram, quæ quidem, ex communi Theologorum sententia, non est ordo, ut ex 24. Doctoribus latè probat Mat. Sanchius de Sacramentis, tract. 1. cap. 7. num. 2. Ergo illud textus ille Innocentii non est extendendus ad casum nostrum; nam differt à casu ibi expolito.

6. Verum quia Canonistæ communiter docent primam Tonsuram esse ordinem, & etiam seculo dicto textu Innocentii III. quæstio ista non caret difficultate, & suos habet anfractus, existimo prudenter Sanctissimum Dominum Nostrum, ad sedandos scrupulos, & pacandam conscientiam, concessisse in tali casu dispensationem, quam orator instantè perierat. Et ita ego respondi interrogatus de hoc casu à S. D. M. Innocentio X. postquam dispensationem concesserat.

RESOL. XXXV.

Quidam cum falsis dimissoriis, sumpsit minoris ordines, & postea cum excommunicatione ecclesia

culta impetravit beneficium, quaesivit à me quid juris?

Et an collatio beneficii facta excommunicato probabiliter suam excommunicationem ignoranti, sit valida?

Et an excommunicatus, cui tempore excommunicationis cellatum fuit beneficium, non faciat suos fructus beneficii, sed eos teneatur restituere; si tamen bona fide servavit beneficium, possit recipere, aut retinere stipendium servitio proportionatum, & residuum non potest accipere, &c.

Et an, si eligaris ad beneficium tempore quo habilis es, acceptes vero illud, cum excommunicatus existis, valida sit tua acceptatio?

Ex quo sequitur, si iste, qui acceptavit, moriatur excommunicatus ante abolitionem, ad quem pertineat proventus talis beneficii?

Et an in Ecclesia, in qua est jus optandi pinguorem Praebendam, valide excommunicatus eam optare possit? Ex part. 1. i. tract. 5. & Misc. 5. Ref. 2.

Respondi quoad primum, suspensionem incurrisse, quia suscepit ordines ab alieno Episcopo absque licentia proprii ordinarii, & licet aliquibus Doctores placeat hanc suspensionem sufficienter probari ex cap. illud quoque 1. dist. 7. ubi dicitur. Non sit rata ordinatio ejus, & incipit. si quis ausus fuerit eadem dist. dicitur. Irrita sit hujusmodi ordinatio. At Suarez, *tom. quinto, de censuris disput. 31. sectione prima, numero 13.* existimat in his verbis non contineri censuram ipso jure latam, sed ferendam. Nam esto in praedictis capitulis dicatur, irrita sit talis ordinatio, intelligi debet per sententiam: quia est benignior interpretatio, & textui accommodata, quod satis colligitur ex eo, quod in Concilio Nicæno capite 17. unde illi textus deducti sunt, dictum sit, irrita erit, & secundum aliam translationem. Irrita habeatur, scilicet sententia accedente: idemque in cap. translationem de temporibus ordinat. dicitur: interdicens illis est ordinis sic suscepti executio.

2. Verum etsi in iis textibus non contineatur suspensio ipso jure lata, continetur tamen in *extravag.* Pii Quinti quæ incipit cum ex sacrorum, quæ est sexta illius in Bullario, eamque refert Salzedo in *sua practica cap. 26.* & confirmavit Pius V. in suis Constitutionibus Apostolicis, sanctione 22. ut refert Corduba in *summa question. 114.* & habetur *Regula 22. Cancellaria* appositae ad finem propriorum morum. Et licet in *supradict. extravag.* solum feratur suspensio adversus suscipientes aliquem Sacrum ordinem absque dispensatione Canonica, aut legitima licentia, ut constat ex illis verbis: Ad aliquem ex Sacris ordinibus se fecerint promoveri: attamen in cap. primo de temporibus ordinat. in sexto, generaliter fertur suspensio adversus Hispanos, qui ad Episcopos Italiae accedunt ordinandi, sine Episcopi proprii licentia. Denique Trident. *sess. 23. cap. 8. de reformat.* apertis verbis hanc suspensionem indicit. Si quis (inquit) ab alio promoveri petat nullatenus id ei etiam cujuscvis generalis, aut specialis rescripti, vel privilegii prætenu, etiam statutis temporibus permittatur, nisi ejus probitas, ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur. Si secus fiat, ordinans à collatione ordinum per annum, ordinatus verò ab ordinum executione, quamdiu proprio ordinario videbitur expedire, sit suspensus. Hæc igitur suspensio incurritur ob receptionem ordinum tam majorum, quam minorum; quia de omnibus generaliter textus loquitur, sicuti declarat ibi Sacra Concilii Congregatio.

Tom. V.

3. Quoad secundum dubium, respondi impetrationem beneficii fuisse nullam; quia nullus excommunicatus excommunicatione majori, quamvis sit occultus, sive sit toleratus, est capax beneficii habendi de novo, existens in excommunicatione, quomodocumque illi detur beneficium Ecclesiasticum, & ipse recipiat, sive scienter, sive ignoranter, sive bona fide putans se non esse excommunicatum, sive mala fide, & collatio ipso facto est nulla. Ita habetur ex cap. postulasti, de Clerico excommunicato. Et ratio hujus est, jus ipsum ita præscribens in odium excommunicationis, in qua beneficium Ecclesiasticum recipitur, & quia beneficium datur propter officium, à quo est suspensus excommunicatus ex se. Quare non eò ipso quod datur absolutio ab excommunicatione, revalidatur collatio beneficii recepti in excommunicatione, sed post absolutum ab excommunicatione, iterum dandum est beneficium à potente illud dare, alioquin est relinquendum tanquam alienum, unà cum fructibus perceptis; quia sine titulo ex re aliena cœpit fructus; quare restituendi sunt in conscientia vel pauperibus, vel Ecclesiæ, vel aliis beneficiatis, juxta dispositionem Ecclesiarum, maxime si sint distributiones: si tamen bona fide accepit in excommunicatione beneficium, & eque deservivit, poterit accipere, aut retinere stipendium servitio proportionatum, non verò residuum, nisi bona fide accepit, & consumpsit, & exinde non sit ditior factus; & ita, me citato ab aliis tenet Caspensis in *Curs. Theologico, tom. 2. tract. 25. disput. 2. sect. 7. num. 72.*

4. Verum his non obstantibus instabat consulens, an in sui favorem extaret aliqua opinio Doctorum? Respondi affirmativè; & quoad primam difficultatem aliqui putant illam suspensionem incurri à suscipientibus ordines Sacros, non autem primam tonsuram, & minores ordines; & ita docet Baunius in *Sup. hoc in praxi benefic. disput. 6. quæst. 1.* ubi sic ait: At cujus est tonsuræ malè sic collatæ vitium supplere? Cujus, cum sic ordinato dispensare, ac tonsuram ratam reputare ac validam? Pertinere id ad Papam dixere multi, quorum nomina in suos commentarios The-saurus retulit in *verb. Ordo, capite 14.* quæ est etiam Rebassii *supra*, & Chassanæi sententia in *Consuetud. Burgund. ad §. Des Justices, verbo Sergens*, quod Gregor. hujus nominis primus *dist. 63. can. Salonit. 24.* ratam se habere ordinationem asserat Episcopi Salonitani, perinde ac si à se facta esset; hinc enim inferri credunt, ad Pontificem super consequenda dispensatione vitii in receptione Tonsuræ admissi, recurrendum esse.

5. Sed malè, nam ibi est sermo de Ordinibus; in quibus locum tonsuræ non habet. Secundò, quia etsi hoc tempore ubi recepta est Bulla Pii II. cui initium est, Cum ex Sacrorum, recipiens ordines Sacros sine literis dimissoriis sui Episcopi, incurrat ipso facto suspensionem, in qua celebrans sit irregularis (quam extravagantem Pontificis suis diplomatis confirmavit Leo X. Pauli III. Pius V.) non tamen ex probabili sententia Navarr. *locis ante cit.* Avil. *part. 3. disput. 5. dubit. 7. parerg.* Sanch. *opus. lib. 7. cap. 1. dub. 28.* qui minores & tonsuram recipit. Itaque in Episcoporum est jure Tonsuram sine literis à se traditis, aut contra voluntatem suam, ab alieno collatam Episcopo, perinde habere ratam, ac si illis auctoribus data foret, colligitur ex Trident. *sess. 23. cap. 8.* ubi dicitur, quod qui à non suo Prælate sine proprii licentia est ordinatus, est à susceptorum Ordinum executione ipso facto suspensus, quamdiu proprio ordinario videbitur. Hucusque Baunius; & Avila, & Sanchez putat recipiens Ordines minores

Et pro contento in hoc §. Quoad te-cundum inf. in §. Quoad secundum vero, hujus Ref. & in alia Ref. ejus not.

Sup. hoc in praxi benefic. disput. 6. quæst. 1. ubi sic ait: At cujus est tonsuræ malè sic collatæ vitium supplere? Cujus, cum sic ordinato dispensare, ac tonsuram ratam reputare ac validam? Pertinere id ad Papam dixere multi, quorum nomina in suos commentarios The-saurus retulit in verb. Ordo, capite 14. quæ est etiam Rebassii supra, & Chassanæi sententia in Consuetud. Burgund. ad §. Des Justices, verbo Sergens, quod Gregor. hujus nominis primus dist. 63. can. Salonit. 24. ratam se habere ordinationem asserat Episcopi Salonitani, perinde ac si à se facta esset; hinc enim inferri credunt, ad Pontificem super consequenda dispensatione vitii in receptione Tonsuræ admissi, recurrendum esse.

minores, * vt supra, suspensionem primam non incurrit.

* Alibi sup. in tract. 1. Ref. 169. §. 1. & 2. & hoc sup. in 6. Quoad 6. licet assentem; Tempus tertium est, cum excommunicatio est occulta: nam Canon *postulatus* intelligendus est de excommunicato manifesto, non de occulto.

7. Ratio est, quod lex quamlibet generalis, iuxta rationem in ea expressam restringi debeat, sic vt locum non habeat, nisi ubi reperitur ejus ratio, vt Navarrus *consil. de testament.* & Azorius docent *tom. 1. lib. 5. cap. 16. quest. 9.* At causa cur excommunicato dari beneficium nequeat, est quod cum excommunicatus communicare nemo debeat, quæ ratio cum in toleratis, & occultis, à temporibus Constant. Concilii locum non habeat, quandoquidem iis congruere, cum his versari, ac agere, cuique sit permixtum, vt his beneficia conferri, ita & ab iis recipi nihil vetat. Ita Hurtadus, Baunius. Et hanc sententiam probabilem esse putat Thom. Hurtadus *variar. tom. 2. tractatu 13. cap. 1. §. 17. num. 944.* Sed ego his non obstantibus consulenti respondi, vt ad Sacram Pœnitentiam recurreret. Verum quid faciet excommunicatus occultus si detur illi beneficium? Respondeo, si potest non se infamando excusare; tenetur non acceptare. Si verò non potest sine infamia, & nisi revelaret suum crimen occultum, acceptare potest sine peccato, donec quam primum possit, impetret dispensationem, vel resignet simpliciter, & iterum petat; non enim potest resignare causa permutationis: nam cum ipse nullum jus habeat, non potest alteri dare, neque acquirere: neque potest resignare in favorem alterius; neque accipere fructus, & si accipiat, tenetur restituere. Vide Caspensem ubi supra numero 80.

8. Sed hic quero; an collatio beneficii facta excommunicato probabiliter suam excommunicationem ignorantem, sit valida.

9. Prima opinio negat, ita Baunius *supra* ex Navarro, & Glossa; Quia ignorantia vinculi Ecclesiastici, eum quidem ab irregularitate contrahenda eximit qui cum ea celebrat, sed ad beneficia idoneum non efficit, cum ignorantia in subiectum influere, vt potest mera scientiæ privatio, aut negatio nequeat.

10. Eximit (inquam) ignorantia cum est probabilis, à pœnis statutis contra excommunicatos, quidpiam facientes, quod est sub censura, aut irregularitate legibus Ecclesiæ vetitum, non tamen facit hæc ignorantia, vt actus qui est nullus, sit in conscientiæ foro, aut externo ratus. Ita ille; cui adde Lessium *libro 1. disputat. 34. dubitat. 2. numero 137.*

11. Secunda ratio affirmat, ita tenet Riccius *in praxi part. 3. theor. 19. num. 2.* qui adducit decisionem Sacre Roræ.

12. Tertia opinio distinguit; ita Ioan. Baptista Paroletus *in Palastra Clericali part. 2. sect. 1. cap. 2. littera D.* qui has opiniones conciliat: Nam putat primam procedere in foro conscientiæ, vbi absolutio data à peccatis ei qui ignorabat se esse excommunicatum, tenet, licet regulariter sit nulla absolutio peccatorum ante excommunicationis absolutionem; secunda verò in foro exteriori, in conscientia præsumitur. Ego verò practicè puto non esse recedendum à prima opinione, licet secunda probabilis vocetur à Lessio ubi supra; & ita in hoc casu, ita est nulla collatio beneficii, vt absolutio-

ne ab excommunicatione postea data non revalidetur, vt contra nonnullos docent communiter Doctores, quia collatio illa fuit nulla, quavis solum ratione impedimenti collatori; ac proinde postea, adhuc ablato impedimento, nequit contrahere.

13. Ex quo fit, excommunicatum, cui tempore excommunicationis collatum fuit beneficium, non debet facere suos fructus beneficii, quia eos accipit ab ipso titulo, sed eos tenetur restituere: si tamen bona fide servivit beneficio, potest accipere aut retinere stipendium servitio proportionatum, & residuum non potest accipere, & si accipit, tenetur illud restituere, nisi bona fide acceperit, & consumpserit, & exinde non sit ditior factus. Vide Hurtadum de excommuni. *disput. 6. difficult. 2. num. 5.* Glossam & Palam *tom. 6. fol. 44.* Lessium *in 3. part. D. Thom. cap. 2. de excommuni. dub. 1. num. 6.* Ioan. Præpositum ubi supra *num. 60. & alios.* Oritur verò ex his difficultas, an si eligatis beneficium tempore quo habilis es, acceptes vel illud cum excommunicatus exitis, valida sit collatio acceptatio? Et negativè respondet Thom. Hurtadus *in variar. tom. 2. tract. 12. cap. 1. §. 26. numero 1041.* Galf. *de excommuni. par Hurtadus de excommuni. disput. 6. difficult. 3. numero 8.* Coninch de Sacramentis *disput. 14. dub. 9. numero 79.* Layman *lib. 2. tract. 5. part. 2. mon. 29. in fine.* Unde ex his sequitur quod si iste qui accepit, excommunicatus moriatur ante absolutionem, non vacat beneficium; cum nondum acquisivisset titulum beneficii & jus in re ad illud. Quod notare maxime oportet, vt dignoscatur ad quem pertinet nova beneficii collatio: nam si excommunicatus acceptavit in mensibus Papæ, etiam si moriatur in mensibus Episcopi, ad Papam, & non ab Episcopum pertinet provisio, quia acceptatio beneficii non solum dicit declarationem voluntatis, sed etiam acquisitionem juris perfecti in beneficio, cuius est incapax excommunicatus, & sic ex hac parte est vana acceptatio, & in hoc sensu est invalida, idest non efficax.

14. Verum licet hæc sententia sit satis probabilis, ego affirmativam sententiam probabiliorē esse existimo, quam tueretur Covarruvias *cap. dñm mater 1. §. 7. num. 4.* Azor. *tom. 2. lib. 6. cap. 7. quest. 3.* Avila *2. part. de censur. cap. 6. diff. 5. dub. 6.* Gonzalez *diff. 38. num. 27.* Garzias plures referens de benef. *7. part. cap. 13. num. 35.* Valquez de excommuni. *dub. 6. Bonac. disput. 2. de censur. quest. 2. punct. 5. §. 1. num. 9.* Sayrus *lib. 2. cap. 5. num. 11.* Moventur, quia iura solum irritant id per quod jus in beneficium acquiritur: ac acceptatione non acquiritur jus in beneficium; quia nemo sibi ipsi beneficium confert, sed est conditio vt in beneficium tibi collatum jus perfectum habeas. Et confitmo, si beneficii collati possessionem excommunicatus accipias, vel alium mittas in possessionem, possedes, & in possessionem missio valida est, vt testatur Azorius ex communi sententia *dicto cap. 7. §. 10.* Henríquez *lib. 13. cap. 13. §. 3.* Sayrus *lib. 2. Thesau. cap. 3. num. 11.* Nicolaus Garzias *7. part. de benef. cap. 5. num. 89.* quia tam possessio, quam in possessionem missio, est quid facti, non juris.

15. Ex qua doctrina inferunt Covarruv. Avila, Bonac. Nicol. Garzias, & alij apud ipsos, in Ecclesia, in qua est jus optandi pinguiorē præbendam valde irregulariter, excommunicatum optare posse; quod sine dubio procedit, quando optione non mutatur titulus, sed nova bona temporalia acquiruntur. Si verò titulus mutetur, & nova præbenda acquiratur, acceptatio poterit excommunicatus optionem, tamen collatio præbendæ differatur, quousque ab excommunicatione ne sit absolutus.

RESOL. XXXVII.

An recipiens Ordines sacros extra tempora, vel sine litteris dimissoriis, vel ante legitimam aetatem incurrat suspensionem?

Et deducitur, an quando dubitatur, an lex fuerit promulgata, & ab usu recepta, tunc non obliget lex, nisi censuram, suspensionem, vel irregularitatem imponat?

Et quid, quando non sumus in dubio, sed quando adsunt opiniones probabiles hinc, & inde?

Et an quis in supradicto primo casu possit obtinere dispensationem virtute Bullae Cruciatæ, vel privilegiorum Regularium? Ex part. 11. tract. 4. & Misc. 4. Resol. 7.

§. 1. **N**egativam sententiam docet ex Dominicanorum familia Magister Antonius Hinojosa in hoc §. inf. in directorio Decisionum Regularium litt. O. fol. 3. 6. ubi sic ait: Ordines Sacros recipientes extra tempora, vel ante legitimam aetatem, vel sine dimissoriis incurrun suspensionem ipso facto per Extravagant. Pii II. quam videre est apud Navar. cap. 26. num. 69. Sylvestr. Ioan. Bern. & Soto tenent hanc sententiam propter hanc Extravagantem.

2. Sed Armilla verbo irregularitas §. 82. dicit ex Tabiena, quod non fuit recepta hæc extravagans. Quorum opinioni subscribendum videtur, quoniam ea, quæ sunt de iure positivo, oportet ad hoc quod ligent sufficienter promulgentur, & etiam quod usu utentium recipiantur, & cum huiusmodi extravagantes non sint in corpore juris, apparet de non sufficienti earum promulgatione. Non esse autem usu utentium receptam constat ex auctoritate Armillæ, & Tabienæ. Item quia in Concil. Trident. sess. 23. cap. 12. ponitur ætas ordinandorum, & cap. 13. quod non recipiantur duo ordines eodem die, &c. quod si quis ab alio quam à proprio Episcopo ordinatus fuerit, sit ipso facto suspensus ab ordinibus susceptis, & sess. 7. cap. 10. ponitur poena ex cap. sede vacante, & ordinato. Vbi nulla mentio si extra tempora, vel ante legitimam aetatem, vel sine dimissoriis, quis ordinatus fuerit. Ex quo videtur standum solum dispositioni Concilii. Hucusque Magister Hinojosa.

3. Cujus sententia si esset probabilis, plures suspensiones à Clericis evitarentur, & à petendis dispensationibus immunes essent.

4. Posset hæc opinio confirmari ex alio casu simili, quem adducit novissimè doctus, & amicissimus Pater Escobar & Mendoza in sua Theol. moral. tom. 1. lib. 5. sess. 2. problem. 14. num. 121. ubi ita asserit; Antonius itaque dubio ac accipit animo, num lex excommunicationem, seu suspensionem, seu irregularitatem præ se ferens sit usu recepta, nec ne? Potest Antonius tuta conscientia eam partem amplecti, quæ negat legem acceptam esse: ex. gr. Extravagantem Pauli II. contra alienantes bona Ecclesiastica dubitas esse receptam, quia aliqui putant quoad poenas non tenere; poteris quidem sine poenæ reatu mitiorem tibi partem eligere. Ita ille.

5. Sed ego circa præsentem casum puto prorsus non esse recedendum ab affirmativa sententia, quam præter alios docet Agid. Bassæus in floribus, verbo ordo 4. n. 4. ubi sic ait: Ordinatus extra tempora legitima absque speciali Summi Pontificis dispensatione incurrit suspensionem ab ordinis executione, ut habetur in Extravaganti Pii II. cum ex factorum: & hæc suspensio est perpetua à solo Papa dispensabilis; licet si occulta sit, Episcopi ex Trid. sess. 24. cap. 6. de reform. ab ea absolvere possint. Ita ille.

6. Dices,

Q 3

RESOL. XXXVI.

An quis recipiat Ordines minores extra tempora, ante legitimam aetatem, vel sine litteris dimissoriis, vel eum falsis incidat in suspensionem latam in Bulla Pii II. anno 1401?

Et advertitur, quod sic ordinati Ordinibus sacris suspenduntur ab Ordinum executione; & ideo si ante obtentam licentiam à proprio Episcopo ministrant, sunt irregulares. Ex p. 5. tract. 10. Ref. 30.

Respondeo negativè cum Riccio par. 4. dec. 93. num. 6. ubi sic ait: Adverte prædictam Pii II. Bullam solummodo loqui de suscipientibus Ordines sacros extra tempora, vel ante legitimam aetatem, aut sine litteris dimissoriis, vel falsis, quod est idem, non tamen loquitur de prima Tonsura, vel de Ordinibus minoribus, & stando etiam juri communi in dictis casibus non incurrebatur suspensio à suscipientibus minores Ordines, ut latè probat Navar. in Manual. cap. 25. num. 76. & cap. 27. num. 242. ubi etiam asserit solummodo Pium II. suspendisse ordinatos Ordines sacris in dictis casibus & declarasse esse eos ipso facto suspensos, atque irregulares si celebrent, non tamen ibi mentionem fecisse de prima Tonsura, aut minoribus Ordinibus. Ita ille, cui adde Mirandam in Man. Prel. tom. 1. g. 39. art. 7. concl. 1. Henriquez lib. 10. cap. 1. n. 2. in glossa lit. M. Zerolam in praxi Episcop. p. 1. verb. dimissoria. Toletum lib. 1. cap. 49. n. 5. Campanili in divers. jur. Canon.

2. Advertendum est tamen quod ex Concilio Trident. sess. 23. cap. 8. sic ordinati suspenduntur ab Ordinum executione quamdiu proprio Ordinario videbuntur, idè quæ si ante obtentam licentiam à proprio Episcopo ministrant, sunt irregulares, ut declaravit Congregatio Cardinalium. Ita docet Scottia in bulla Pontificæ tom. 39. theoretem. 109. & alii.

Tom. V.